SOCRATES
NEC OFFICIOSUS MARITUS
NEC
LAUDANDUS PATERFAMILIAS
IN
PUBLICA DISSERTATIONE EXHIBITUS
A

M. FRID. MENTZ,
EX ORD. PHILOS.
ET
FRID. WILH. SOMMER, AUCT.
VRATIS. SILES.



LIPSIÆ cIↃ IↃcc XVI. D. XXX. SEPTEMBR.

LITTERIS IMMANUELIS TITII.

VIRO
NOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMO
DOMINO
SAMUELI GRASSIO,
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ DOCTORI PRACTICOQUE CELEBERRIMO, INCLYTÆ REIPUBLICÆ VRATISLAVIENSIS PHYSICO MERITISSIMO,
NATURÆ CURIOSORUM ACADEMIÆ LEOPOLDINÆ SOCIO SPECTATISSIMO,

FAUTORI ET PATRONO FILIALI OBSEQUIO ET HONORE VENERANDO.

VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
EXCELLENTISSIMO,
DOMINO
GOTTLOB KRANTZ,
GYMNASII ELISABETHANI RECTORI, SCHOLARUMQUE AUGUSTANÆ CONFESSIONIS INSPECTORI GRAVISSIMO,
HISTORIARUM ET PHYSICES PROFESSORI CELEBERRIMO, ET BIBLIOTHECÆ ELISABETHANÆ PRÆFECTO,

FAUTORI ET PATRONO MEO,
QUANTAM ANIMUS CAPIT,
PIETATE COLENDO.



Um has academicæ diligentiæ primitias VOBIS offero, Patroni summo colendi obsequio, non est, ut de conquirendis rationibus longe circumspiciam: Nostis quantum ego VESTRO favori, VESTRÆ autoritati tribuam, ut unquam aliquid absque Consilio VESTRO conandum in animum non inducam. Novi ego quantum VOBIS debeam, quæque mea ad metam studiorum tendenti sit conditio, in qua maxime VESTRA mihi opus est prudentia. Non ægre itaque feretis, confido, quod ad VESTRA sacraria accedere propius non verear, & pro tot tantisque in me collatis

bene-

beneficiis, quæ nulla ætas obscurabit, tenue hoc obsequii & Cultus Testimonium VOBIS reddere annitar, obsecrans, ut illud benigna fronte accipiatis, meque amore illo, paterno fere majori complecti non desinatis. Non alienum a me esse putavi in philosophico curriculo, a domesticis facere initium, atque in vulgo magis cognitis, primum virium mearum facere periculum: qua in parte peccatum erit, VOS lubens æquos habebo arbitros, strenue in posterum conabor, ut perfectior ætas maturos magis fructus ferat,

Vestrarum Excellentissimarum
Amplitudinum

devotus cultor

FRIDER. WILH. SOMMERUS.



SOCRATES
NEC OFFICIOSUS MARITUS
NEC
LAUDANDUS PATERFAMILIAS.

§. I.



Num omnium mortalium ſapientiſſimum, vix ſine temeritatis nota dici, ſuo exemplo nos Pythius Apollo docuit: Nam, etſi pro confirmando de Socrate oraculo, plurima eo usque pars conſentiat in laudes Philoſophi, ut vel diſertiſſimi omnes eloquentiæ fontes exhauriant, vel ex ſapientum cœtu profundiſſima philoſophiæ argumenta eruant, et conſumant: ſunt tamen, qui de ipſius oraculi veritate dubitare, non erubeſcunt, inter quos Athenæus, agmen ducat: Ille namque Platonem, ut plurima mentitum, etiam eo Lib.V.p.210. arguit, quod à Chærephonte Pythia interrogata fuerit: εἴ τις εἴη Σωκράτους σοφώτερος: an quis Socrate ſapientior eſſet: καὶ τὴν ἀνελεῖν, μηδένα: atque hanc re-

gessisse neminem; cum in hoc a Xenophonte non solum diversum asserat, sed ipsa res absurda sit, cum ex sententia Platonis ideo sapientissimus fuerit, quod se nihil scire agnoverit, unde inferendum Dipnosophista retur, quod si nihil scire, summa Sapientia sit, sequatur, summam esse stoliditatem, scire omnia, quod in Apollinem Pythium injurium foret, in quo tamen egregium Sophisma committit; cum longe diversum sit, nihil scire et suæ scientiæ infirmitatem agnoscere. Sed pergit ulterius, fatuum fuisse percontatorem, et temerarium Chærephontem, cum non opus fuerit Deum consulere, cum ipse Socrates de se edixerit: Sed quis non viderit Sophistam agere, cum non de Socrate interrogante, sed Chærephonte sermo sit, qui in admirationem tractus sapientiæ Socraticæ causam consulendi oraculi habuit. Sed quis ille Platonis et Xenophontis dissensus est, ad quem Athenæus provocat? Attulerat nempe Athenæus allegata jam Platonis verba, et pergit, ut vulgo legitur: κἀν τούτοις δὲ μὴ ξυμφωνῶν Ξενωφῶντι φησί· Χαιρεφῶντος γάρ ποτε ἐπερωτήσαντος ἐν Δελφοῖς ὑπὲρ ἐμοῦ, ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων πολλῶν παρόντων, ut legit recte Causabonus ex Xenophonte εἶναι μηδένα ἀνθρώπων ἐμοῦ μήτε δικαιότερον. μήτε σοφρωνέστερον. Quæ verba non recte reddidisse Delechampium bene monet Casaubonus, quasi illa posteriora ad Platonem referenda sint, cum ad Xenophontem illa manifeste pertineant, atque Platonis priora illa sint: Casaubonus ergo solam particulam ὅς inter Ξενοφῶντι et φησὶ inserendam jubet, quod multo cum re magis congruit: Verum nec illa

Apolog. Socr. p 21. Edit. Stephani.

illa medela opus esse Athenæo crediderim, cum integra oratio sit perspicua, modo particula τὶ separetur a Nominativo Ξενοφῶν, et fiat arguta interrogatio, κἀν τούτοις δὲ μὴ ξυμφωνῶν Ξενοφῶν, τί φησι· et sic insequuntur Xenophontis verba, quæ cum antecedentibus ita latine exponenda: "Sed in his minus conso-„ nans Xenophon, quid ait? Chærephonte Delphis„ interrogante de me, excepit Apollo multis præsenti-„ bus, neminem me, vel justiorem, vel modestiorem„ esse.„ Et sic leguntur in Apologia Socratis, cum quibus conferri merentur quæ in fine lib. IV. memorabilium de Socrate Epilogi loco repetit: atque ita constat Athenæi argumentum quod ex autorum Socrati æqualium et factorum ejus æque consciorum, dissensu petitum est, qui in eo ponitur, quod prior sapientissimum omnium ab oraculo laudatum esse, pronunciet; alter, Xenophon, justissimum et purissimum, quæ multum inter se differunt. Adi Casaubonum in Animadversionibus. Verum quid nobis, cum anu Pythia, cujus nulla apud nos, saniora edoctos, est auctoritas, præter Athenæum ab aliis jamdudum explosæ, quorum nubem vide in Menagii observationibus ad Diogenem Laërtium.

p. m. 556.

lib. II. segm. 37.

§. II.

Nos qui arduum quidem esse maxime, unum mortalium pronunciare sapientissimum, neutiquam dissimulamus, non veremur tamen primas Socrati in emendanda et condenda nova philosophia partes attribuere, subnixi tot veterum præclaris testimoniis, et ipso rerum eventu, quo plures ex schola Socratis

prodiiſſe eruditos, quam ex omnium, ipſo priorum, diſcimus. Non omnia colligere, quæ ad Socratis philoſophiam commendandam faciunt, noſtri inſtituti eſt: ſed ſi Parentem Philoſophiæ appellamus de fin. lib. II. c. 1. Socratem Ciceronem auctorem ſequimur, duplici cauſa moti, quod nimirum arrogans et clamoſum Sophiſtarum genus de throno deturbaverit; et contemplationes ſapientum ante ſe, ad vitam humanam propius adduxerit, moresque hominum civitatis commodis ſtudioſorum, per præcepta formare docuerit. In utroque nobis iterum juxta alios teſtimonium Tullius, latinæ philoſophiæ princeps auctor, perhibet, adducto jam loco, ubi ita dicendo pergit: „Eorum erat iſte mos, qui tum Sophiſtæ nominaban-„tur, quorum e numero primus eſt auſus Leontinus „Gorgias in conventu poſcere quæſtionem, id eſt, „jubere dicere qua de re quis vellet audire: Audax „negotium, dicerem impudens, niſi hoc inſtitutum „poſtea translatum ad Philoſophos noſtros eſſet. Sed „et illum, quem nominavi, et ceteros Sophiſtas, ut „e Platone intelligi poteſt, luſos videmus a Socrate. „Is enim percunctando atque interrogando elicere „ſolebat eorum opiniones, quibus cum diſſerebat, ut „ad ea, quæ ii reſpondiſſent, ſi quid videretur, diceret, c. 8. Conf. Brutus, ubi plura Sophiſtarum, quos Socrates confudit, exempla producuntur. En novam et magis ſolidam philoſophandi methodum quam paſſim p. m. 187. laudant alii et Plato in Lachete. Quanquam vero omnium Scientiarum complexum teneret, quod per ſingulas partes probare opus eo minus eſt, quod id abun-

abunde celeber: Stanlejus præstiterit, et iterum Princeps oratorum romanorum: Socrates, qui omni-„ um eruditorum testimonio totiusque judicio,„ Græciæ, cum prudentia et acumine et venustate et„ subtilitate, tum vero eloquentia varietate et copia,„ quam se cumque in partem dedisset, omnium fuit„ facile princeps.„ Imo nihil non pertentasse Socratem ex præceptorum, a quibus profecit, professione manifestius cognoscitur: sic namque Anaxagoras, qui primus inter magistros fuisse fertur, ex Thaletis schola ortus, Physicis contemplationibus et metaphysicis exercitationibus operam potissimum impendit: nec minus Archelaus ex eadem Prosapia ortus: inde musices quoque præcepta a Damone: Sophisticam a Prodico accepit: Imo et Diotimam et Aspasiam, doctrina illustres fœminas, audivit ut eloquentiæ et carminis gratiam degustaret, et quid non Socrates didicerit? De quo plenius laudatus Stanlejus cupidum informabit. Inde nec satis perspicere liceret, qua vel auctoritate, vel temeritate ductus Porphyrius apud Theodoretum de Socrate effari ausus esset: εἶναι αὐτὸν πρὸς οὐδὲν μὲν ἀφυᾶ, ἀπαίδευτον δὲ περὶ πάντα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν; σχεδὸν δὲ οὐδὲ γράμματα πάνυ τι ἐπίστασθαι, ἀλλ' εἶναι γελοῖον ὁπότε, τὶ δέον ἢ γράψαι, ἢ ἀναγνῶναι βατταρίζοντα ὥσπερ τὰ παιδία: Fuisse natura qui-„ dem non hebetem: sed ineruditum planeque in-„ doctum. Nihil enim ferme scivisse litterarum et fuis-„ se ridiculum, si quid, vel legere, vel scribere oportue-„ rit, puerorum more hæsitantem.“ Et suspicio foret dicta contra omnem fidem auctorum et rerum

Hist. Phil. P. III. c. V. de Socratis Phil.

de Oratore lib. III. c. 16.

Θεραπευτ. serm. I. p. 8.

non

non pure a Theodoreto deſcripta, eo animo, ut ſcopum ſuum propius feriret, qui is eſt, ut græcorum, de ſua ſapientia, alta ſupercilia deprimat, chriſtianam ruditatem imputatam cum ſuorum Philoſophorum vera, Ignorantia conferendo; niſi et tale quid auſum Ariſtoxenem Plutarchus doceret, cui propter malignitatem jam pœnam dedit. Exempla certe a Porphyrio et Platone allata nihil probant, niſi quod ab orationis elegantia, τοῖς κεκαλλιεπημένοις λογοῖς atque κεκοσμημένοις alienum ſe eſſe Socrates profiteatur, ex quo tantam inſcitiam non licet inferre. Nos progrediemur ad alteram ſocraticæ ſcientiæ partem, quæ in ſcientia rerum, ad vitam utilium, poſita eſt.

de malign. Herodoti p.856. op.

§. III.

Segm. 20.

Diogenes in vita ejus tria prædicat de Socrate: πρῶτος μετὰ τοῦ μαθητοῦ Αἰσχίνου ῥητορεύειν ἐδίδαξε, καὶ πρῶτος περὶ βίου διελέχθη, καὶ πρῶτος φιλοσόφων καταδικασθεὶς ἐτελεύτα: primus cum Æſchine diſcipulo „oratoriam exercuit, et primus de vitæ ratione diſ„ſeruit, primusque Philoſophorum damnatus mori„tur. Quod poſtremum non probatur Aldobrandino in notis, quoniam Zeno Eleates LXIX. Olympiade, antequam naſceretur Socrates a Nearcho Tyranno, neci datus ſit: Verum nihil veritati derogat hoc exemplum, cum nec, ut Philoſophus propter philoſophiam, ſed propter rebellionem Zeno perierit; nec καταδικασθεὶς, quod forenſe verbum eſt, et talem notat qui Judicis ſententia condemnatus eſt, quod Socrati propter virtutem primo accidit. Quod igi-

igitur ad philoſophandi rationem attinet , pergit Diogenes: γνόντα δὲ τὴν θεωρίαν μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς, τὰ ἠθικὰ φιλοσοφεῖν ἄρξαι, ἐπί τε τῶν ἐργαστηρίων, καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ. κἀκεῖνα δὲ φάσκειν ζητεῖν:

Ὅ, ττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Animadvertens autem naturalem ſpeculationem„ ad nos uſum non transferre, de morum doctrina„ philoſophari incepit, et in officinis, et in publico„ quotidie, idque quærendum dixit.„

Quod tibi in ædibus pravum aut bonum fuerit. Ex quo luculenter apparet, quo modo a contemplationibus rerum ad earum uſum ſtudioſorum ſapientiæ animos pertraxerit: neque officit, quod Euſebius idem dictum Ariſtippo adſcribat, cum uterque idem ſentiens, idem dictum adhibere potuerit: Προπαρασκ. l. 1. p. m. 24. Senſum ejus plenius explicat Cicero. Sed ab antiqua„ Tuſc. v. 4. philoſophia usque ad Socratem qui Archelaum,„ Anaxagoræ diſcipulum audierat, numeri motus-„ que tractabantur et unde omnia orirentur, quove„ recederent: ſtudioſeque ab his ſiderum magnitu-„ dines, intervalla, curſus anquirebantur, et cuncta„ cœleſtia. Socrates autem primus philoſophiam„ devocavit e cælo, et in urbibus collocavit, et in do-„ mos etiam introduxit, et coëgit de vita et moribus„ rebusque bonis et malis quærere„ et alibi: primum-„ Bruto c. 8. que tum philoſophia non illa de natura, quæ fuerat„ antiquior, ſed hæc, in qua de bonis rebus, et ma-„ lis, deque vita hominum et moribus diſputatur, in-„ venta dicitur.„ Ex quibus ſimul ſors et conditio philoſophiæ ante Socratem apertius perſpicitur, et

quæ

quæ φυσικὴ illa θεωρία sit, cujus Laërtius meminerat, nempe quæ nec certa esset, nec ad usum hominum facta; inde rationes etiam mutationis a Socrate susceptæ ulterius suggerit Xenophon: οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως, ἧπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι, διελέγετο, σκοπῶν ὅπως ὁ καλούμενος, ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος, ἔφυ (al. ἔχει) καὶ τίσιν ἀνάγκαις, ἕκαστα γίνεται, τῶν οὐρανίων, ἀλλὰ καὶ τοὺς φροντίζοντας τὰ τοιαῦτα μωραίνοντας ἐπεδείκνυεν· Καὶ πρῶτον μὲν αὐτῶν ἐσκόπει πότερα ποτὲ νομίσαντες ἱκανῶς ἤδη τ' ἀνθρώπινα εἰδέναι ἔρχονται ἐπὶ τὸ περὶ τῶν τοιούτων φροντίζειν· ἢ τὰ μὲν ἀνθρώπινα παρέντες τὰ δαιμόνια δὲ σκοποῦντες ἡγοῦνται τὰ προσήκοντα πράττειν: ἐθαύμαζε δ' εἰ μὴ φανερὸν αὐτοῖς ἐστὶν ὅτι ταῦτα οὐ δυνατόν ἐστι, ἀνθρώποις εὑρεῖν. ἐπεὶ καὶ τοὺς μέγιστον φρονοῦντας ἐπὶ τῷ περὶ τούτων λέγειν, οὐ ταυτὰ δοξάζειν ἀλλήλοις, ἀλλὰ τοῖς μαινομένοις ὁμοίως διακεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους: Nec „ enim de rerum omnium natura sic disserebat, uti „ complures alii, nimirum considerans, quo Pacto „ is, qui a professoribus sapientiæ mundus appella- „ tur, ortus sit, quibusque de causis necessariis singu- „ læ res cælestes fiant. Imo eos, qui his rebus occu- „ parentur fatuos esse demonstrabat, ac primum de „ iis hoc considerabat, an quod rati se humana jam „ satis intelligere, ad talia tractanda accederent, an „ rebus relictis humanis divinas contemplantes re- „ cte se agere putarent. Mirabatur etiam quod non „ iis perspicuum esset, homines hæc invenire non „ posse. Nec enim ii, qui plurimum arrogent sibi, „ quod de his disserere norint, idem inter se sentiunt, „ sed furiosorum instar inter se comparati sunt. „ En

Ἀπομνήμον I. p. m. 561.

philo-

philoſophiæ Socraticæ ſcopum et indolem, et quid eo dictum velint, qui philoſophiam de cælo vocaſſe in urbes Socratem aſſerunt.

§. IV.

Primus igitur de vitæ ratione egit Socrates, atque de morali philoſophia diſſerere incepit, in officinis et in publico; atque primus devocavit philoſophiam e cælo et in urbibus collocavit, et in domos introduxit, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quærere uti ex veterum luculentis teſtimoniis perſpeximus. Sed quomodo in urbes et in domos philoſophiam introduxit? Certe non eo conatu, ut res civitatis graviter et prudenter adminiſtraret, et res domi induſtrie et prudenter curaret; ſed ut ſingulorum in urbe civium mores recte formaret, quo in ſocietate juſti et ſobrii degerent, omniaque facerent, quæ ad tranquillitatem inter omnes conſtituendam conducerent. Qui unus Philoſophiæ Socraticæ ſcopus fuiſſe cognoſcitur ex iis, quæ in Apologiis a Platone et Xenophonte pro ipſo allata ſunt, nempe ut ſe juſtum, morumque ſanctitate egregium oſtenderet, et alios, ut id facerent, præpararet, ſicut ipſum magna ſui confidentia de ſe teſtantem exhibet Xenophon: Τινὰ μὲν γὰρ ἐπίστασθε Apolog. p. 556. ἧσσον ἐμοῦ δουλεύοντα ταῖς τοῦ σώματος, ἐπιθυμίαις; τίνα δὲ ἀνθρώπων ἐλευθεριώτερον; ὃς παρ᾽ οὐδενὸς οὔτε δῶρα, οὔτε μισθὸν, δέχομαι· δικαιότερον δὲ ἂν εἰκότως νομίσητε τοῦ πρὸς τὰ παρόντα συνηρμοσμένου, ὡς τῶν ἀλλοτρίων μηδενὸς προσδεῖσθαι; σοφὸν δὲ πῶς οὐκ ἄν τις εἰκότως ἄνδρα φήσειεν, εἶναι, ὃς ἐξ ὅτου περὶ ξυνιέναι τὰ λεγόμενα ἤρξάμην, οὐ πώ

ποτε διέλιπον καὶ ζητῶν καὶ μανθάνων, ὅτι ἐδυνάμην ἀγαθόν: Quem enim ſcitis me minus cupiditatibus corpo-„ ris ſervire? quem liberaliorem? qui a nemine ne-„ que munera neque mercedem accipio. Quem„ vero juſtiorem merito æſtimetis, quam eum, qui„ ad præſentia ſic ſe accommodat, ut alienis non„ egeat. Et ſapientem me virum merito quis non„ dixerit, qui ex eo, quo capere dicta cœpi, ea nun-„ quam transmiſi non inquirens vel diſcens bo-„ num aliquod, quantum potui.„ Et quæ conferantur digna ſunt ipſa Xenophontis in fine lib. IV. memorab. ubi virtutum Socratis imaginem pingit. Ex quo ſatis cognoſcitur, quæ forma, quis finis Socraticæ philoſophiæ in urbes domus introductæ, eſſet, non ut ipſe vel publicum vel privatum in civitate ordinem, vel ad leges formaret, vel per eas conſervaret, ſed potius, ut homines ita moratos fingeret, qui nec imperio nec legum curatoribus indigerent. Minus quidem felici ſucceſſu, et minime recta methodo, ſi Lactantio fides adhibetur, quam, ſi non in omnibus, in non paucis tamen meruit. Et quamvis adeo ad homines philoſophiam traduxerit, ab ipſa tamen publica et privata re abſtinuit, quoniam id cum philoſophiæ ſtudio et Philoſophi munere conſiſtere minus putavit, ſicut ipſe apud Platonem profitetur: Καὶ ὑπὸ ταύτης τῆς ἀσχολίας, ὔτε τι τῶν τῆς πόλεως πρᾶξαι μοι σχολὴ γέγονεν ἄξιον λόγυ, ὔτε τῶν οἰκείων: Mihi vero hac in re (in ſapientiæ ſtu-„ dio) occupato, nullum datur otium neque ad pu-„ blicum aliquod negotium gerendum, quod alicu-„ jus

Inſtit. L III. c. 20. ſeq.

Apol. p. 23.

jus sit momenti, neque vero ad meam rem priva-„ tam.„ Et ita jussum se agere a dæmonio suo alibi p. 31.
demonstrat, quia id cognoverit ab Atheniensibus oppressum iri Philosophum, si civilibus rebus se immisceret. tantam enim fuisse populi Atheniensis perversitatem, queritur, ut nemo posset salvus evadere, qui impedire vellet, ne plurima injusta patrarentur, et nefaria, unde illi, cui pro justo certare cordi erat, nisi brevi pessum ire vellet, vitam privatam agere, nec publica negotia attrectare necesse fuit.

§. V.

Verum an recte ita et prudenter egerit Socrates, nunc pluribus rationibus nolumus evolvere, quoniam id nostrarum non est partium: Interim non meliores putamus illos esse, qui virtutis exercitiis præstant, nec prudentiam tempore afflictæ et labascentis Reipublicæ cum suo etiam periculo ad usum civitatis transferunt, bene educatis liberis, qui senio confectos, et infirmos parentes, cum rerum suarum dispendio alere molestum ducunt, et detrectant. Næ quando maxime prudentum consilio opus est, re pene desperata publica, tunc minime licet illis se subducere, qui rerum usu et experientiæ laude insignes sunt, nisi curam publici boni suo commodo longe se postponere videri velint. Hinc longe diversum docet ipse Socrates apud Xenophontem, ubi Memorab. III.
multis Charmidem, ad capessendam rempublicam p. 612.
admonet, ni dici ignavus malit. Unde quicquid diversum de Socrate sentienti placeat, nos pro certo admittimus, nihil ab omni parte perfectum esse, et

 philo-

philoſophiam quoque Socratis ſuis laboraſſe defectibus, quos omnes ſub examen vocare ad noſtram provinciam non pertinet, quibus id ſaltem demonſtrare competit Socratem Philoſophorum græcorum principem atque parentem, in eo minimum peccaſſe, quod neque ex regulis veræ ſapientiæ cum uxore ſua Xantippe egerit, neque prudentis, et induſtrii patrisfamilias munia expleverit.

§. VI.

Separatim de utroque dicturi diſpiciemus, primo loco, quomodo officioſi mariti partibus non ſatisfecerit Socrates. Officia mariti erga uxorem fluunt ex legibus matrimonii, quod eſt conſortium inter marem et fæminam jucunditatis, et utilitatis vitæ, ſobolisque gignendæ cauſa, ex pacto initum. Matrimonium initur ſponte ſua ab utroque conjugum propter jucunditatem, quando naturæ motus adimplentur, et ſuavis inter conjunctos animo et corpore conſuetudo intercedit: propter utile, quando alter conjugum alterius commoda promovere ſtudet, et alter alteri de neceſſariis ad vitam, mutua adhibita opera, proſpicere contendit, et vitæ incommoda atque moleſtias lenire et avertere ſtudet. Quæ igitur pars conjugum in culpa eſt, quo minus altera finem ſuum aſſequatur, illa perfidiæ rea eſt, qua contra pacti indolem peccatur. Et ex evidenti ratione facile cognoſcitur nunquam ſe adſtrictum eſſe liberum, ſuæ poteſtatis hominem, matrimonii legibus, tot moleſtiis implicantibus, et tam ſancte ſervandis, niſi, quod propoſitum erat, ſperaret obtine-

obtinere: unde ille, qui, ut alter fine excidat ſuo in causa eſt, duplici malo illum afficit, quod nempe ad finem, quod pacto promiſerat, non ducat alium, et quod eo adſtringat, ut neque per alium id fieri liceat. Ut vero uti non unus eſt finis conjugium ineuntium, ita etiam diverſo modo peccari poteſt. Eo autem omnia redeunt, quod vel dulcis illa conſuetudo inter convicturos vinculo conjugali et ſobolis procreatio ſit propoſita: vel mutua alterutrius pro altero cura, per adminiſtrationem reifamiliaris, quo utrique, ex quo commode vivat, ſuppetat. In plerisque deprehendemus Socratem non egiſſe, quod boni mariti erat.

§. VII.

Cum Xanthippe conjugii fœdus inierat philoſophus, cum Xanthippe, quæ ita male apud omnes audit, ut metuendum illi ſit, qui ejus partibus ſe abdicet, ne videatur ipſi vitio velle laudes ſcribere; inde nobis minime eſt in animo Xanthippes jurgia nude, vel negare, vel in laudes vertere; Sed illud ſaltem probare non inter officioſos maritos locum mereri Philoſophum, qui Xanthippes iræ ex animi impotentia, potiſſimam cauſam præbuit. Primum autem eſt, ut omne id agat uterque conjugum, quo aliqua ratione alteri placeat, nam quis tam inſulſus concipietur, ut ejus utatur jucunda conſuetudine, quod, ſi non odio dignum ſit, nullo tamen delectationis ſenſu afficit: Ille vero excitatur, vel eo, quod externe organa blande percellit et movet, ut forma præcipue corporis hujusque mundities membro-

rumque

rumque motuum agilitas, et concinnitas; vel quod animum demulcet, nempe blanda verborum lenocinia, quæ confirmanda demum ſunt certis veri amoris teſtimoniis. Quod vero ad primum horum attinet, Socrates, deformis omnino vultus Philoſophus, ſua forma uxori ſe commendare nullatenùs potuit, homo namque vertice calvus, fronte eminente et ſupra oculos et genas pendula, oculis in profundo caligantibus, naſo ſimus fuit, quæ minime in amorem pellicere mulierem poſſunt. Sed ne temere deformaſſe virum videamur ex æqualium et dignorum fide aliorum auctoritate dicta confirmabimus.

§. VIII.

De calvitie non erimus multum ſolliciti, probant tamen eandem non ſolum ex lapidibus ſculptæ, antiquitatis nota probatæ, et paſſim a Chiffletio, Meibomio, Gronovio, Chauſſæo, exhibitæ imagines, ſed et tuta veterum teſtimonia. In imagine calvum nobis exhibet Socratem Syneſius in pleno Calvorum Theatro: Ἔξεστι δὲ τοὺς ἐν μουσείῳ θεάσασθαι πίνακας, τοὺς Διογένας λέγω, καὶ τοὺς Σωκράτας, καὶ τοὺς οὕστινας βούλει τῶν, ἐξ αἰῶνος σοφῶν φαλακρὸν γὰρ ἂν ἔσται δόξειε θέατρον: Licet eas intueri, quas in muſeo habemus, de-„ pictas clarorum virorum imagines Diogenes in-„ quam illos, et Socrates, alioſque ab hominum me-„ moria ſapientes; calvorum theatrum conven-„ tumque eſſe dixeris. „ et iterum ad calvitiem Socratis tanquam ad rem adeo conſenſu confirmatam provocat, ut ridiculum fore hominem apud

Calvitiei encomio p. 68. edit. Petav.

p. 81.

apud omnes pronunciet, qui Socratis comati meminiſſet, ὡς ἔτος ἐςιν ὁ τῶν πώποτε πεφιλοσοφηκότων φαλακρότατος, „ ut qui eſſet unquam Philoſophorum calviſſimus. „ Et Scholiaſtes Ariſtophanis Socratis calvitiem, tanquam rem notam proponit ad verba Poëtæ, quibus mentitur pulicem ex Chærophontis ſupercilio inſiliiſſe in caput Socratis. Quid ergo dicendum de Sidonio Apollinari, qui per gymnaſia Areopagitica, vel Prytaneum cum aliis pictum recenſet Socratem, coma candente? Si non forte calvente ſcripſiſſe conjicias? Sed miſſo calvo Socratis vertice qui caſu ſupervenerat, et cum ipſo non ſimul extiterat, neque ad deformandum adeo facere potuit, ad alia progredimur, quæ magis obſtant formæ Socratis. Simo adeo naſo fuit Philoſophus, ut a naſi turpitudine abierit in proverbium, quod dictum fuit de vultu admodum deformibus, et Athenæus inter abſurda recenſet, ſi quis velit quæſtionem agitare: εἰ Σώκρατους ἐςί τις σιμότερος: An quis Socrate ſit magis ſimus: Quo quidem cognoſcitur, tantum inter ſimos vitio excelluiſſe, ut aliquem cum eo comparare ſtultum eſſet, quod maxime confirmat Platonis, æqualis et admiratoris Magiſtri ſui, teſtimonium; hic talem pingit adoleſcentem, qui fœdior ſit, quam ut forma, amoris concitati ullam ſuſpicionem excitare valeat: Ita vero Plato, μειρακίῳ ἐντετύχηκα, καὶ εἰ μὲν ἦν καλὸς, ἐφοβέμην ἂν σφόδρα λέγειν, μὴ καὶ τῷ δόξω ἐν ἐπιθυμίᾳ αὐτῦ εἶναι· νῦν δὲ, καὶ μή μοι ἄχθυ, ὐκ ἐςι καλὸς προσέοικε δὲ σοι τὴν δὲ σιμότητα, καὶ τὸ ἔξω τῶν ὀμμάτων, ἧττον δὲ ἢ σὺ ταῦτ᾽ ἔχει. In adoleſcentem in- „

ad Act. I. ſc. 2. p. 146.

L. IX. ep. IX. ad Fauſtum.

Theætet. p. 143.

„cidi, qui si pulcher esset valde vererer id dicere, ne „cui illius amore flagrare viderer; at ne mihi succen- „se, minime pulcher est. Tibi vero (ad Socratem) „et naso illo simo et exterius oculorum est similis, „quanquam, et illis notis minus, quam tu, insignis est? Ex quibus Platonis ille oculorum deformis aspectus simul cognoscitur: cum quibus concinit Scholiastes, Aristophanis, ἐλέγετο δὲ ὁ Σωκράτης τὴν ὄψιν Σειληνῷ παρεμφαίνειν σιμὸς δὲ γὰρ καὶ φαλακρὸς ἦν. Socrates di- „ctus est visu Sileno similis, simus et calvus.„ Et cum Sileno eundem Plato non semel comparat. Atque iterum apud Athenæum cum Critobulo adolescente de forma contendere fingitur, qui ipsi illudit: πολὺ τῶν Συληνῶν αἴσχιω λέγων εἶναι, „asserens eum Silenis „multo esse deformiorem.

ad νεφελ. I. 3. 2.

L. IV. p. 188.

§. IX.

Nescio itaque, an non Æthiopem lavare dicendus sit vir doctus, Socrati formam non invenustam vindicaturus, contra diserta hactenus allata testimonia: Præcipuum quidem suæ sententiæ subsidium se invenisse credit in Arriani ad Epictetum loco, quem tamen vel studio in alienum sensum detorsit, vel non satis diligenter expendit: sermo enim Arriano minime de forma, sed de puritate corporis est, quam diligenter curasse alibi luculenta extant testimonia; Ælianum, qui κόσμιον σῶμα appellat, ita cultum corpus, in admirationem rapuit, ut exclamare non vereatur: Ὁ τοίνυν τοιέτῳ συνὼν σώματι, τίνα ἡγέμεθα ἔχε ψυχήν; „Qui vero ejusmodi cor- „pus habuit, qualem ducemus habuisse animam

in actis Philosophorum, peculiari dissertatione, de forma Socratis P. I. c. 5. Lib. IV. c. XI.

V. H. L. XIII. c. 27.

O sophisticam vanitatem! Arriani vero scopus est probare Philosopho dignum esse, puræ menti purum præparare domicilium, asserit ergo Socrati, σῶμα ἐπίχαρι καὶ ἡδὺ, minime vero καλὸν, quod ab illo diversum est. Quod vero ulterius addit vir clarissimus, Diogenem Laërtium non solum nihil narrare de Socratis deformitate, sed præterea corpus ipsi tribuere εὐεκτες, eo nihil videtur evincere: Nam vel nimia Philosophi reverentia inductus, corporis vitia reticere voluit; vel, quod non multum ad rem facere putaret, aliquid monere non necessarium duxit: Ἐυεξία vero, quam in eo laudat, bonum corporis habitum et sanitatem probat, ad formam nihil pertinet, cum in turpissimum quemcunque cadere possit. Platonis sane et Athenæi loca, data opera videtur pervertere, quod ex eorum sensu ante a nobis explicato, clarum est. Athenæus certe non simum modo fuisse Socratem tradit, sed tam hoc vitio *insignem ostendit*, ut absurdum foret dubitare, eum alios omnes hoc superaturum esse. Plato non tantum ad amorem incitare socraticæ formæ puerum non posse Philosophum, sed ne quidem suspicionem amoris dare, quanquam ipso Socrate forma præstantior sit. Neque ex Cyri effato a Xenophonte prolato, licet colligere τὸν σιμὸν deformem non fuisse, quoniam τῷ γρυπῷ ἡ σιμὴ conveniat, nam ex eo minime sequitur hanc propter formam esse amabilem: En ergo virilem in ore Socratis venustatem, quam auctor ipsi tribuit, quamque disputatio simul cum Xanthippe in fronte gerit, ex fide Chiffletii Tabularum (in Socrate) ad quas

ipse auctor provocare non dubitat, nobis si quid de forma judicare datum est, in dimensiones humani vultus natura peccavit; et cui placet ita pictus Socrates, illi forte, nec frons vri, nec oculus suis, nec simiæ nasus, nec bucca ranæ, nec hirci barba, displicebunt. Nos a Maximo Tyrio dicta repetimus: πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρὸς, ὁ τοῦ λιθοξόου, ὁ σιμὸς, ὁ προγάστωρ, ὁ κωμῳδούμενος. „Quomodo vero non deformis reputandus „lapicidæ filius, ut qui simus, et ventricosus, et in co„mœdiis delusus est?

differt. XXIII. p. 240.

§. X.

At vero quorsum hæc tendunt? quid formæ turpitudine in leges mariti peccavit Socrates? Nihil sane. Verum hoc tamen ex illa evincitur, eo laborandum fuisse philosopho, ut, quod forma negaverat, verborum et morum suavitate compensaret, uxorisque animum consuetudinis dulcedine devinciret: Verum vel frigide egisse, vel superbe cum uxoribus, et sanctas matrimonii leges violasse, alieni amoris cupidine, legimus, eratque in ea sententia Socrates, sicut et reliqui, maritum imperare uxori magis decere, quam amore prosequi: Ex dicto quod nobis servavit Stobæus res clara est: τοὺς μὲν ἄνδρας, τοῖς δὲ πόλεως νόμοις δεῖ πείθεσθαι: τὰς δὲ γυναῖκας, τοῖς τῶν συνοικούντων ἀνδρῶν ἤθεσι: „Viros oportet civitatis legi„bus obedire: Uxores autem maritorum moribus,„ Et mulierem a solo viri consilio ita pendere autumavit, ut absque illo ad nihil prosit, ut iterum effatus est apud Stobæum: οὔτε γυνὴ χωρὶς ἀνδρὸς, οὔτε ἐλπὶς ἀγαθὴ χωρὶς πόνου, γεννᾷ τὶ χρήσιμον. „neque mulier sine viro,

in nuptialibus præceptis ferm. LXXII. meæ edit.

viro, neque bona ſpes, absque labore utile quic-„ quam parit; „ adeo abjecte de mulieribus ſenſit, ut mos erat plerisque ſuæ ætatis, quod videre eſt paſſim et luculenter apud Stobæum in ſermonibus de contrahendis nuptiis, in nuptialibus præceptis, in vituperatione mulierum, nuptiarum, reliqua; et præcipue Euripides infeſtus ſexus elegantioris hoſtis Socratis autem familiaris paſſim in easdem debachatur. Sed hæc dicta ſunto a Socrate; fortius rem facta probabunt. Duas ſimul uxores habuiſſe magno numero ſcriptores affirmant, quos adducit et arguit Athenæus, Laërtius hæſitare videtur, an ſimul duas duxerit, ſed opponere non audet ſe pluribus. Hoc tamen minus peccaſſe Socratem monet, quod lex Athenienſium propter raritatem civium data id permiſerit: Charpenterius ulterius procedit docens, juſſos eſſe cives Atticos, ut duas ſibi accerſerent, ſed ſubdole, ut ex lege, non male egiſſe Socratem, perſvaderet. Verum nobis minus laudandum eſſe factum judicamus, et minime Philoſopho, qui ſingularem caſtitatem profeſſus eſt, dignum credimus ea permiſſione uti, inprimis cum tam parum prudenter uti occaſione noſſet. Nihil nunc dicemus a ſolo forte Laërtio laudari hanc legem atticam, ſine dubio, ne Socrates, tam moribus ſanctus, videretur uſus fuiſſe pellice: et ne Myrto ex Ariſtidis juſti progenie, quid credatur indignum admiſiſſe, dum concubina fieret Philoſophi: Talibus enim uti licuiſſe patet ex Meurſio, qui Lycurgi locum adducit de concubinarum pœna. Id quidquid ſit, non prudenter egit Socrates: Sic enim

de inſperatis eventibus ſerm. CIX.

L. XIII. p. 556.

ſegm. 26.

la vie de Socrate p. 24.

Them. Attic. L. I. c. IV.

postquam utramque domum duxerat, et altercarentur inter se fœminæ, minime, officio mariti functus est; sed cum debuisset autoritate mariti, et patrisfamilias uti, pacemque domi servare, risit rixas mulie-
serm. XI. p. 174 bres quod Aristoxeni auctoritate affirmat Theodoritus, et inde quod merebatur accidit: addit enim Theodoritus: *αὐταὶ δὲ συνάπτουσαι μάχην πρὸς ἀλλήλας, ἐπειδὰν παύσαιντο ἐπὶ τὸν Σωκράτη ὥρμουν, διὰ τὸ μηδέποτε αὐτὰς μαχομένας διακωλύειν, γελᾶν δὲ καὶ ἀλλήλαις καὶ αὐτῷ μαχομένας ὁρῶντα.* Hæ vero quando mutuis con„tentionibus colliderentur, postquam cessabant, in „Socratem irruebant, eo quod disceptantes non co„hiberet, sed cum risu spectaret, et mutuo inter se„ipsas, et adversus seipsum pugnantes. Ex quibus id etiam perspicitur inique Xanthippen accusari quod Socratis petulantiam ægre tulerit; et suspicio augetur, Socratem, neque unius neque plurium gratiam sibi conciliare potuisse et conservare. Unde jure suo contemsisse frigidum tori socium, et amato-
Segm. 26. rem utraque videtur apud Laërtium, quod despexisse inter laudes ejus, et tanquam magni animi argumentum, refert idem Diogenes, sed ignavia est in Philosopho minus toleranda, qui aliter cum uxoribus recte agendi præcepta ipse apud Xenophontem dederat: *τὴς δὲ γυναικὸς εἰ μὲν διδασκομένη ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς τ' ἀγαθὰ κακοποιεῖ, ἴσως δικαίως, ἂν ἡ γυνὴ τὴν αἰτίαν ἔχοι. εἰ δὲ μὴ διδάσκων τὰ καλὰ κ' ἀγαθὰ ἀνεπιστήμονι τούτων χρῷτο*
Xenophon œconom. p. 652. *ἆρ' οὐ δικαίως ἂν ὁ ἀνὴρ τὴν αἰτίαν ἔχοι; πάντως δέ.* Uxor „a marito si recte instituta, male se gerit, merito cul„pam ipsa sustinet: at si vir ea, quæ honesta et lauda-

bilia

bilia ſunt, non docuerit illam atque ita horum,, ignara non juſte utatur, an non in virum merito illa,, culpa conferri debeat? Omnino vero.

§. XI.

Interim communi omnium quaſi conjuratione facta accuſatur Xanthippe, jurgioſa, ſed infelix fœmina, uxor Philoſophi, cujus ſola conſtantia dilaudatur. Verum ſi in rem penitius inſpicias, neſcio, an dubium futurum ſit, uter magis peccaverit, Xanthippe querens, et objurgans, an Socrates ridens et injuriam, ſi quæ facta eſt, ferens: Nobis minime talia cum officioſi mariti et prudentis obligationibus conciliantur. Audiamus accuſationum potiſſima capita, ut preſſius vero inſiſtere liceat, notari in principio volumus omnia Xanthippes cum Socrate jurgia ad duo principia poſſe referri: eo nimirum, quod vel Socratem peregrini amoris ſuſpectum haberet uxor legitima, vel quod ad rei familiaris rationes minime maritus ageret. Ex priori cauſa factum eſt, quod tantum improbatur, ut placentam, quam Alcibiades mittebat Socrati, non ſine indignatione acciperet. Ælianus rem narrat ſophiſtica eloquentia: πλακοῦντα V.H. lib. XI. c. 12. ὁ Ἀλκιβιάδης μέγαν καὶ ἐσκευασμένον κάλλιστα διέπεμψε Σωκράτει. Ὡς οὖν ὑπὸ ἐρωμένου ἐραστῇ πεμφθὲν τὸ δῶρον ἐκκαυστικὸν πλακοῦντα διαγανακτήσασα κατὰ τὸν αὐτῆς τρόπον, ἡ Ξανθίππη ῥίψασα ἐκ τοῦ κανοῦ, κατεπάτησε. Pla-,, centam magnam pulcerrimeque confectam Socrati,, miſit Alcibiades. Tanquam igitur ab amaſio pla-,, centam hanc, munus amatori miſſam, ut ejus amo-,, rem accenderet, graviter ſuo more objurgans Xan-,, thippe,

„thippe, eam de caniſtro ejectam pedibus conculca-
L.XIV. p.643. „vit.„ Paulo verecundius factum narrat Athenæus ὀνόματα πλακέντων ὧν σοι καὶ μεταδώσομεν, οὐκ ὡς τοῦ Ἀλκιβιάδου πεμφθέντος Σωκράτει, ὃν Ξανθίππης καταγελασάσης, ὁ Σωκράτης οὐκοῦν, ἔφη, οὐδὲ σὺ μεθέξεις τούτου. „Placentarum quæ diximus, tu eris particeps. Non „quemadmodum ad Socratem placentam miſit Alci„biades, quam, cum Xanthippe derideret, ipſe dixit, „nihil igitur ab ea capies. Satis prudenter factum a ſagaci fœmina, quando deriſit impudici donatoris beneficium. Et hæc ſine dubio vera eſt rei narratio, a ſcriptore, non nimia philoſophi reverentia, moto, tradita: Et adeo nec opus fuit Cl. Perizonii criſi, qua emendanda et invertenda Athenæi verba ad Æliani Sophiſticam autumat, quia ſolam Xanthippen, minime Socratem, potuiſſe peccaſſe, crederet: Neque adeo male vertendum Xanthippæ fuit donum tale reſpuere et Socrati eripere: Nam, etiamſi non deſunt, qui Socratem ab imputato nefandi amoris cum Alcibiade crimine defendunt, res tamen judicata non eſt, Plato et Xenophon levia ſatis argumenta adducunt

in apologiis Socratis. L.V. p.219. pro eluenda macula, et Athenæus partem tuetur contrariam: Id ſaltem evidens eſt male de ſe uxori ſuſpicandi, tutam occaſionem præbuiſſe, et indignandi juſte materiam, Alcibiadi vero Xanthippæ maledicen-

Xenoph. Sympoſ. p.692. di, quaſi omnium difficillimæ et moleſtiſſimæ fœminæ: videat vero Ælianus, quo ſucceſſu ex hoc aliis Socratem σπουδαῖον, ſtrenuum commendet; fidem ejus

act.philoſ. P.I. c.4. §.10. ab aliis ſuffultam, omnino vocare in dubium cum viro docto nec volumus, nec res poſtulat.

§. XII.

§. XII.

Nec gravis igitur Philoſophi, nec officioſi mariti munere defunctus eſt Socrates, quando impotentiam muliebrem, vel non cohibuit, vel debitum amorem non præſtitit, et conjugalem fidem non integram ſervavit. In eo quando uxori, ut debuit, non proſpexit, non magis meretur laudari. Officioſi mariti eſt ad ingenium muliebre, quantum honeſtatis regulæ permittunt, ſe componere, et pro ſuis facultatibus tantum tribuere, quo affectum ſincerum demonſtret, minime vero omnes ſexus, ad placendum facti, actiones ad regulam gravitatis et continentiæ philoſophicæ, exigere: Stultum enim eſt, id poſtulare, quod viribus naturæ, vel majus eſt, vel inſtitutionis præcepta tranſcendit. In eo vero peccaſſe Socratem nobis largiturum ſperamus, qui nobiſcum perpendet, quod uxori ea denegaverit, quæ ſexum, quam maxime ſolent afficere, mundum dico muliebrem, non, quod crederet, dedecere honeſtam fœminam ornari, et comte veſtitam in publicum prodire, quod ipſius ſuis moribus foret contrarium, ut, qui tempori ſerviens pretioſa veſte incedere, et Agathonis cœnam frequentare, ipſe non abnuit, utque ex Platonis ſympoſio factum repetit Laërtius: Καί τοι ἐνίοτε πρὸς τοὺς καιροὺς ἁρμοττόμενος, καὶ λαμπρὰ ἠμπίσχετο· Interdum tempori „ ſerviens venuſtiori habitu amiciebatur. „ Sed cum ita recte ſentiret, et ipſe recte ageret, non tamen voluit curam habere, quo Xanthippæ ſuppeditaret, quæ decora eſſent ſuæ ſortis fœminæ. Veritatem dicto-

Segm. 28.

conf. Menagius in obſervat.

V.H.L.VII c.10. dictorum confirmat Ælianus τῇ Ξανθίππῃ δὲ ὁ Σωκράτης, ἐπεὶ οὐκ ἐβούλετο τὸ ἐκείνου ἱμάτιον ἐνδύσασθαι, καὶ οὕτως ἐπὶ τὴν θέαν τῆς πομπῆς βαδίζειν, ἔφη· ὁρᾷς ὡς οὐ θεωρήσουσα, θεωρησαμένη δὲ μᾶλλον βαδίζεις. Xanthippæ „ vero Socrates, quia nolebat illa ejus vestem indue- „ re, et sic ad spectandam pompam prodire, dixit: „ Viden, quam non spectandi causa, sed potius, ut spe- „ cteris, prodeas. „ Reprehensio quæ minime maritum decet, nec conclusio Philosophum. Quasi vero id sequatur mulier, non ex plebe, in solenni spectaculo pro sua conditione ornata comparet, et aliter, ne derideatur, apparere non vult, ergo, ut spectetur, non ut spectet, assidet. Rectius et prudenter sensit Xanthippe, pudica fœmina: vel decore agendum, vel potius, quod summa non requirit necessitas, omittendum; ideoque quoniam spectaculo interesse nihil jubet, consultius mihi erit domi manere, quam publico populi cachinno me exponere. Qui ergo criticam hic exercent, et negativam voculam emaculatam volunt, et Xanthippen à Socrate pallium rogasse contendunt, næ illi nimis acuti, nihil vident, cum sic minus apposite respondisse Socrates intelligendus esset, quasi fœmina, ut videretur, mariti veste, minus ad pompam decora, se induere voluisset. Nec magis illi recte judi-
vid. Menagius ad Laërt. segm. 37. cant, qui hoc factum ab alio non discernunt, quando nempe, alia occasione, lubens pallium mariti arripuit, tempore magis opportuno, ex quo cognoscitur, non arroganter neque superbe nunc respuisse, cum erubescendum propter dedecus esset: et

Philo-

Philoſophus Imperator eo collimat ſcribens: οἷος ὁ Σωκράτης τὸ κῴδιον ὑπεζωσμένος, ὅτε ἡ Ξανθίππη λαβοῦσα τὸ ἱμάτιον ἔξω προῆλθε. καὶ ἃ εἶπεν ὁ Σωκράτης τοῖς ἑταίροις, αἰδεσθεῖσι, καὶ ἀναχωρήσασιν, ὅτε αὐτὸν εἶδον οὕτως ἐσταλμένον. Cogita Socrates qui fuerit, pelle „ ſuccinctus, quando Xanthippe veſte ipſius ſumta „ ſe proripuerat. Quæque amicis ſuis dixerit pu- „ dore ſuffuſis, pedemque retrahentibus, cum ſic in- „ dutum illum conſpicarentur. „ quid vero ſit, quod amicis reſpondit Socrates, non addit Imperator, neque multum ſcire refert, id ſaltem ex facto, cognoſcitur, indigne ſatisfeciſſe Philoſophum, qui uxori peplum non proſpiceret, ut mariti pallio ſe involvere coacta eſſet; hancque ſatis modeſtam fuiſſe, quod ita veſtita foras ire non detrectaret. Et ex hoc forte orta eſt fabula in foro detraxiſſe pallium marito, quoniam nonniſi perverſe agens Xanthippe concipi debere crederetur. Verum neque ſic non appareret Xanthippem Socratis uxorem in foro indigam fuiſſe pallii, et æque impotenter egiſſe cum marito, quam illum cum uxore ſordide et ignave.

L. XI. §. 28.

Laërtius ſegm. 37.

§. XIII.

Ad matris familias partes illa potiſſimum pertinent, quæ a viro, primo domus rectore acquiſita et illata ſunt, ſtudioſe conſervare, et prudenter diſpenſare, ut mulieris officia longe lateque explicavit Socrati Iſchomachus, apud Xenophontem ita loqui exorſus: δεῖ δ᾽ αὖ ἐπειδὰν ταῦτα εἰσενεχθῇ εἰς τὸ στεγνὸν, καὶ τοῦ σώζοντος ταῦτα, καὶ τοῦ ἐργασομένου τὰ τῶν στεγνῶν ἔργα δεόμενα ἐστί· στεγνῶν δὲ δεῖται καὶ ἡ τῶν νεογνῶν τέκνων παιδο-

Libro œconomico p. 661. ſeq.

παιδο-

παιδοτροφία, στεγνῶν δὲ καὶ αἱ ἐκ τοῦ καρποῦ σιτοποιίαι δέονται. Requiritur autem, posteaquam a viro intra tectum ,, illata fuerunt, ejus etiam opera, qui hæc servet, et ,, ea curet opera, quæ non nisi sub tectis fieri pos-,, sunt. Requirit vero tecta liberorum recens na-,, torum puerilis educatio, et cibi ex illata segete,, confectio,, et reliqua, quibus plenius matrisfamilias munera exsequitur, quæ in conservatione et dispensatione rerum illatarum, collocat Ischomachus, sic ut rei ratio familiaris permittit, et conditio postulat. Verum qualem se præstitit Philosophus noster? nihil intulit, atque officio suo minime satisfecit, quo obstringebatur, ut laudandus paterfamilias. Sed illam inertiam suo loco relinquemus, et hic dispiciemus, quomodo in leges æqui et officiosi mariti peccaverit. Domum reliquit rerum vacuam, uxorem, quæ vacui penus custos esset, et nihilo minus ad cœnam vocavit hospites, mendicitatis suæ testes, quod, qua ratione non ægre ferre fœmina, liberaliter educata, potuit? Rem ita narrat
Segm. 34. Laërtius: Καλέσας ἐπὶ δεῖπνον πλουσίους, καὶ τῆς Ξανθίππης αἰδουμένης, ἔφη, θάῤῥει· εἰ μὲν γὰρ εἶεν μέτριοι σύμπεριενεχθεῖεν ἄν. εἰ δὲ φαῦλοι, ὑμῖν αὐτῶν οὐδὲν μελήσει. Cum vocasset ad cœnam divites, et Xanthippen pu-,, deret modici apparatus, bono, inquit, esto animo: ,, Nam si quidem modesti erunt, frugique, mensam,, haud quaquam aspernabuntur; sin autem intem-,, perantes, nulla nobis de his cura erit. ,, : Verecunde satis, ut decebat ingenuam, pudebat Xanthippen vilis apparatus coram divitibus, quos non vocare ad

cænam

cænam magis conveniebat. Sed quid mirum si impotentius ageret, quando sæpius factum iteravit, et præterea fœminam pudentem falso risu exagitavit, ut aliquando factum narrat Plutarchus: τοῦ δὲ Σωκράτους ἐκ παλαίστρας παραλαβόντος τὸν Εὐθύδημον, ἡ Ξανθίππη μετ' ὀργῆς ἐπιστᾶσα καὶ λοιδορήσασα, τέλος ἀνέστρεψε τὴν τράπεζαν, ὁ δὲ Εὐθύδημος ἐξαναστὰς, ἀπῄει περίλυπος γενόμενος, καὶ ὁ Σωκράτης, παρὰ σοὶ δὲ, εἶπεν, οὐ πρώην ὄρνις τις εἰσπτᾶσα ταὐτὸ τοῦτο ἐποίησεν; ἡμεῖς δ' οὐκ ἠγανακτήσαμεν. Socrates e palæstra secum duxerat Euthydemum. Et cum Xanthippe irata convitiabatur, tandem mensam evertit, quando surrexit abiturus Euthydemus dolore affectus, ad quem Socrates dicebat: Nonne nuper apud te avis quædam involans idem hoc fecit? nihil me indignante. „ Ita ut ab aliis acceperat rem repetit Plutarchus, quoniam pro illustrando argumento suo conduceret, quapropter acerbius excipitur a viro docto, at vereor ut satis æque; argumenta quibus dicta conatur impugnare, sunt satis levia: Ὄρνις non nego, aliquando galinam notat, sed unde probatur, quod idem heic? et cur dicitur ὄρνις τις? ἀναστρέφειν τράπεζαν non necessario notat sursum deorsum vertere, sed turbare mensam, vel quæ in ea posita sunt. Et sine ratione ad fertur Xanthippen potius in culina cibaria retinere potuisse, quam mensæ imposita dejicere, nam nec veterum mos erat, ut materfamilias in culina ad focum lixaret, et ad mensam ministraret, quod servile erat: Mensæ assidens domina, ad iram, moribus et verbis mariti,

De cohibenda ira p. 461.

Act. Philos. Part. I. c. IV. §. 9.

exacerbata excanduit: Quod de Pittaci mala uxore ſcribit Plutarchus, multum differt, nec abſurdum eſt, duas ejusdem peccati reas eſſe. Nos igitur non laudabimus excandeſcentiam mulieris, ſed nec probandum Socratis morem aſſerimus, qui hoſpites minus opinanti uxori e palæſtra domum duxit, quum minime inſtructa eſſet, quo uxorem pudore ſuffundi noviſſe debebat; nec injuria, cum muliebri animo majus ſit, ita negligenter, ut Socrates ſolebat, hominum de ſe judicia excipere: Nec quod inde laudis redibat ad Socratem ad ſeſe pertinere comprehendere Xanthippe potuit. Et ita quoque ſentiendum de malo facinore, quo perfudit maritum, quod Diogenes Laërtius credit, plane vero negat Athenæus, nos relinquimus in dubio, et ſaltem notamus mala fide egiſſe Senecam, quando immundа aqua perfudiſſe tradit, cum Diogenes generatim modo ſcribat περιχέασα et Athenæus νιπτῆρας ἀυτȣ κατέχει τῆς κεφαλῆς: ſine dubio autem aliquid rei addidit Seneca, ut factum malum ſordeſceret magis: vilis eruditorum turba vulgo ſuffundit lotium. Sit quodcunque velis, quod ira conceperat Xanthippe effudit, et ſtupore rigens excepit irrigatus Socrates, cujus officii erat, nec riſu irritare uxorem, nec injuriam illatam non caſtigare.

Segm. 36.
L. V. p. 219.
lib. de constantia ſapientis c. 18.

§. XIV.

Ex dictis hactenus et probatis, ſatis clare cognoſci poſſe confidimus, Socratem non fuiſſe maritum

tum, ut decet, gravem in tempore et benevolum, qui vel humanitate et benevolentia uxorem ſibi devincire noſſet, vel prudentia mores muliebres corrigere; unde intellectu neque eſt difficile, cur idem Philoſophus interroganti de uxore ducenda minus prudens conſilium ſuggerere ſciverit: ἐρωτηθεὶς πότερον γῆμαι, εἰ μὴ, ἔφη, ὃ ἂν αὐτῶν ποιήσῃς μεταγνώσῃ. Laërt.ſegm.33.
Interrogatus utrum conduceret uxorem duce-„ re, an non; utrumvis horum, inquit, feceris, pœ-„ nitentia duceris.„ Recte, ſi non magis, quam Socrates rei uxoriæ par ſit, minime bene, ſi prudenter ducere, et cum uxore degere noverit. Uxorem ducere cum natura humana convenit, et civitas non conſiſtit ſine ſocietate inter conjuges; minus bene, ſi non ad regulas prudentiæ ſocietas illa in ordine contineatur, et liberi inde geniti ad uſum civitatis rectius, quam vulgo fit, educentur, quo felicitas publica promoveatur per ſucceſſionem prudentum, quos educatio a prudentibus facta ſuppeditat, ut adeo non opus ſit quærere, utrum ſit melius uxorem ducere, vel a nuptiis abſtinere, et reſponſio facilis, omnem qui ſapiat, ſi alia non officiunt, ad ducendum obſtrictum eſſe; Illum vero ſe rectius continere, qui ducendo naturæ vim facit, et ordinem civitatis turbat; cum in ſocietate domeſtica, quando cum uxore prudenter et concorditer vivere non novit: tum in civitate, quando liberos in cives utiles educare non valet: Illi igitur, qui animum operi applicat, prius eo ſedulo laborandum eſt,

quo suppleantur, quæ sibi deficere, ducendo cætera aptus, intelligit. Quæ si observasset Socrates, neque ducendo bis peccasset dum duxit, et quidem duas, qui nec uni par esset, et dum cum sua nec prudenter et ex officio egit: neque in consilio anceps fuisset; sed quod res postulabat, in medium consulere potuisset, ne alii eveniret quod sibi accidit, uti queritur
Lib. VII. c. 2. apud Valerium Maximum, ubi rationes responsioni ab eo datæ, subjunguntur, quibus cavere voluit, ne juvenis in contextu rerum asperarum, quasi lætæ materiæ, faceret delectum; cum quo ejus dicto, cui ita visum fuerit, aliud ejus conferat, in quo comparat matrimonium ineuntes cum piscibus, qui nassam libenter subeunt, et postquam intrarunt, exitum quærentes, hærent.

Antonius Monachus inter Stobæi λόγους CLXXXIII. p. 607.

§. XV.

Non recte abstinuisse a Reipublicæ negotiis Philosophum, in antecedentibus, obiter monuimus, paulo diligentius heic perquiremus, quomodo erga rem domesticam affectus fuerit. Ad Philosophum non pertinere, familiaris rei curam habere, ratus est, ut de se fatetur καὶ ὑπὸ ταύτης τῆς ἀσχολίας οὐδὲν πρᾶξαι μοὶ σχολὴ τῶν οἰκείων. Tali labori mihi „ implicito, non vacat quicquam curare, quæ ad fa- „ miliam pertinent „ Quæ quæso negotia tam occupabant Philosophum, ut facere non posset, quæ ratio muneris exigebat? perquirebat nempe Socrates, ab oraculo ideo sapientissimus judicatus, quod se nihil scire cognovisset, quis demum sapiens

Plato apol. Socr. p. 23.

ſapiens eſſet; Et hoc ita tenebat virum bonum, ut ſe ſuaque negligere neceſſe eſſet. Minus præclare profecto! quaſi non liceat ſtudio ſapientiæ indulgenti, ipſam diligentia acquiſitam prudentiam vitæ hujus commodis applicare. Imo multo facilius illi ſit oportet, qui animum ſapientiæ præceptis recte informavit, prudenter agere, quam, qui ruditate mentis impeditus eſt. Neque genuina erat hujus neglectus ratio, quaſi non ſufficiat unus ad rerum cognitione mentem imbuendum, et prudenter domi agendum, ſed falſa erat in Socrate perſuaſio omnem Philoſophi præſtantiam ab ingenio petendam eſſe, ſcientiæ laude claro, ut teſtis eſt Laërtius, ἔλεγε δὲ ſegm. 31.
ἓν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην· καὶ ἓν μόνον κακὸν, τὴν ἀμαθίαν. Dicebat unicum eſſe bonum ſcientiam, „ et unicum malum inſcitiam.„ Et in duas videtur claſſes digeſſiſſe philoſophiæ deditos, unam illam conſtituens, in qua primipili illi conſiſterent, qui id ſolum agerent, ut verum indagarent, aliisque traderent; et alteram, in qua illi collocati eſſent, qui ab illis primis proficerent, et in uſum vitæ traducerent, quales ipſe ſibi voluit eſſe diſcipulos apud Xeno- memorab. IV. in princ.
phontem, ubi hæc bonæ docilisque mentis indicia ponit, ſi quis facile diſcerneret propoſita, accepta memoriter teneret, et ad civitatis, domus, et hominum, propriosque uſus omnia transferre noſſet, quod a ſe alienum eſſe jam profeſſus eſt, non, quod ſupra vires eſſet Philoſophi, prudenter familiæ præeſſe, et recte ſapere, ſed quod dulcius eſſet ingenio frui, et in

otio vivere, quod omnium gratissimum æstimavit: καὶ ἐπῄνει σχολὴν, ὡς κάλλιστον κτημάτων κατὰ καὶ Ξενοφῶν ἐν Συμποσίῳ φησίν. Laudavit otium tanquam posses-
„sionum pulcherrimam, ut in symposio testatur Xe-
„nophon.„ ex quo vera causa cognoscitur, cur Philosopho non vacaverit agere, quod suum erat: et cum hac ingenii lubidine optime convenit docendi, quam servavit, methodus, qua nulli muneri adstrictus, vage præcepta tradebat, nulli tempori, nulli loco, nulli argumento adstrictus, quod plenius enarrat Plutarchus: Σωκράτης γοῦν οὐδὲ βάτρα θεὶς, οὔτε εἰς θρόνον καθίσας, οὔτε ὥραν διατριβῆς, ἢ περιπάτου τοῖς γνωρίμοις τεταγμένην φυλάττων, ἀλλὰ ἅ καὶ παίζων, ὅτε τύχοι, καὶ συμπίνων καὶ συστρατευόμενος ἐνίοις, καὶ συναγοράζων, τέλος δὲ καὶ συνδεδεμένος, καὶ πίνων τὸ φάρμακον, ἐφιλοσόφει· πρῶτος ἀποδείξας τὸν βίον ἅπαντι χρόνῳ, καὶ μέρει καὶ πάθεσι, καὶ πράγμασιν ἁπλῶς ἅπασι φιλοσοφίαν δεχόμενον.
„Nam Socrates, cum neque posuisset subsellia, ne-
„que cathedram conscendisset, neque discipulis
„scholæ aut deambulationis ullam certam constituis-
„set horam, sed cum aliis ludens, et si occasio ferebat
„cum aliis bibens, militans cum quibusdam, in foro
„versans; ad extremum etiam cum aliis in carcere
„vinctus et venenum bibens, philosophabatur, et pri-
„mus ostendit vitæ omne tempus, partem, casum,
„negotium omnino aptum esse studio Sapientiæ:
cum quibus a Xenophonte dicta consonant: ἀλλὰ μὲν ἐκεῖνος γε, ἀεὶ μὲν ἦν ἐν τῷ φανερῷ· πρωΐ τε γὰρ εἰς τοὺς περιπάτους, καὶ τὰ γυμνάσια ᾔει, καὶ πληθούσης ἀγορᾶς ἐκεῖ φανερὸς ἦν, καὶ τὸ λοιπὸν ἀεὶ τῆς ἡμέρας ἦν ὅπου πλεί-

Laërtius segm. 31.

in reipubl. gerendæ præceptis p.696.

conf. Xenophon. memorabil. I. p.560.

πλεῖστοι μέλλει συνέσεσθαι, καὶ ἔλεγε μὲν, ὡς τὸ πολὺ τοῖς δὲ βελομένοις ἐξῆν ἀκέειν. Erat autem Socrates ſemper,, in publico. Nam mane ad loca deambulationibus,, et exercitiis deſtinata pergebat, et cum frequens e-,, rat forum, conſpiciebatur in publico, reliquumque,, diei degebat iſthic, ubi inter plurimos verſaturus,, eſſet. Diſſerebat autem plerumque, ut quidem,, ipſum audiendi facultas iis eſſet quicunque vellent.,, Et ita quidem hanc ſervavit methodum, non ut ulla ſerie, vel ordine doctrinæ capita abſolveret, ſed ut ſuam interponendo ſententiam, quæſtiones ab auditoribus in medium prolatas in ſuſpenſo relinqueret, ut idem Plutarchus alio loco. Sed ſi non ignoravit Philoſophus omne vitæ genus ſapientiæ ſtudio aptum eſſe, quod Plutarchus ait, cur ab œconomica ſibi abſtinendum ratus eſt?

in quæſtionibus Platonicis ſub initio p. 999.

§. XVI.

Certe quod doctrina profeſſus erat, ſibi Philoſopho non eſſe integrum, quicquam eorum curare, quod ad rem domeſticam pertineret, idem facto probavit Socrates Tanquam egregium factum vulgo laudatur, et ipſe ſæpius gloriatus eſt, nullam laboris ſui ſe mercedem admittere, καὶ ἐσεμνύνετο ἐπὶ τῇ εὐτελείᾳ μισθόν τε ἐδένα εἰσεπράξατο. In facilitate maxime,, gloriabatur, mercedemque a nullo exigebat.,, Et Xenophon: ὁ μὴν ὁ δ᾽ ἐρασιχρηματὲς γε τὲς συνόντας ἐποίει τῶν μὲν δὲ ἄλλων ἐπιθυμιῶν ἔπαυε, τὲς δὲ ἑαυτȣ̃ ἐπιθυμȣ̃ντας ὲκ ἐπεράτlετο χρήματα. Ne avaros quidem,, effi-

Laërtius ſegm. 27.

memorab. I. p. 562.

efficiebat amicos suos; nam et aliis a libidinibus,, eos evocabat, et a studiosis sui pecuniam non exi-,, gebat.,, Egregium factum vulgo credunt, et ipse non dubitat: τίνα μὲν γὰρ ἐπίςασθε ἀνθρώπων ἐλευθεριώτερον; ὥσπερ ἐδενὸς ὅτε δῶρα, ὅτε μισθὸν δέχομαι. Quem ,,me nostis liberaliorem, qui a nemine neque mune- ,,ra neque mercedem accipio.,, et pluribus aliis testimoniis hæc confirmantur. Sed quid hisce factis meruit? A Socrate observata sunt, ut ne cuiquam obstrictus esset propter beneficium, et ne impediretur ex ingenio agere. Prius diserte testatur ipse Xenophon in proxime sequentibus prioris loci: τὲτε δ᾽ ἀπεχομένες ἐνόμιζεν ἐλευθερίας ἐπιμελεῖσθαι· τὲς δὲ λαμβάνοντας τῆς ὁμιλίας μισθὸν ἀνδραποδιςὰς ἑαυτῶν ἀπεκάλει, διά τὰ ἀναγκαῖον αὐτοῖς εἶναι διαλέγεσθαι, περὶ ὧν ἂν λάβοιεν τὸν μισθόν. Qua in re (mercede exigenda,) qui ab- ,,stinentes se ferebant, libertati studere dicebat, qui ,,autem doctrinæ mercedem caperent, suimet quos- ,,dam quasi plagiarios appellabat, propterea quod ,,necessario differere cogerentur apud eos, a quibus ,,mercedem acciperent.,, Ecce veram continentiæ causam, ut majori licentia, quicquid liberet, diceret et faceret, quod majoris, quam rerum necessariarum usum æstimavit, tanta pertinacia, ut de ipso Laërtius scribere non dubitet: ὅτος μέντοι πεινῶν, ὃ πώποτ᾽ ἔτλη κολακεῦσαι. Tametsi esuriens, assentari nunquam su- ,,stinuit.,, Sed quam vane et superbe assentationem dixit, æquam pro labore mercedem admittere. Et eadem tamen causa motus ab Archelao Macedone,

in apol. Xenophontis p.556.

segm. 28.

Scopa

ScopaCranonio, et Eurylocho Lariſſæo miſſam pecuniam recuſavit accipere, Seneca ideo nolluiſſe admittere monet, quod nollet ad eum venire a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non poſſet: quæ ex ſtoæ ſuæ principiis nimis jactanter detorſit in laudem Socratis, qui talia dare Archelao potuerit, quæ hicce minime redditurus erat, unde ejus benevolam gratiam riſu excepiſſe putatur philoſophus, minus decenter. Verum nec ſola arrogantia ductus ab admittenda pecunia ſe continuit, ſed vera ignavia detentus, noluit cura teneri earum rerum, quæ prudenti Patrisfamilias moleſta eſſe poterant, ut ex ipſa ejus reſponſione Alcibiadi data, manifeſtum fit. Laërtius rem narrat: καί ποτε Ἀλκιβιάδου διδόντος αὐτῷ χώραν μεγάλην, ἵνα οἰκοδομήσηται οἰκίαν, φάναι· καὶ εἰ ὑποδημάτων ἔδει, βύρσαν μοι ἐδίδους ἵν᾽ ἐμαυτῷ ὑποδήματα ποιησαίμην, καὶ (Cauſabonus legi vult μὴ καὶ neſcio an ſatis gravi cauſa ad mutandum motus ſit) καταγέλαστος ἂν ἦν λαβών. Cum Alcibiades grandem quandam area„ am ad conſtruendam domum largiretur, dixiſſe„ (narrat Pamphila) an vero, ſi calceamentis mihi o„ pus eſſet, et corium dares, ut calceos mihi ipſe con„ ficerem? Certe ridiculus eſſem, ſi acciperem.„ Bis caſtigari dignus eſt Philoſophus, propter has argutias; quod vel præ fœda imprudentia non ſciverit melius domum ædificandam curare, quam calceum propria arte ex corio conſuere; vel, quod præ ſocordia noluerit ullam rei familiaris curam habere, atque adeo non aream, ſed extructam domum accipere. Indignum

Laërt ſegm. 25.
de benef. L. V. c. 6.
ſegm. 24.

dignum utrumque facinus. Servos vero eandem ob causam datos accersere noluit: Χαρμίδε τε οἰκέτας αὐτῷ διδόντος, ἵν' ἀπ' αὐτῶν προσοδεύοιτο, οὐκ εἵλετο. Cum „daret Charmides servos, ut eorum opera lucrifaceret, noluit accipere.„ Recte quidem ex suo ingenio, noluit ideo accipere, quia ipsi constitutum minime erat ad acquirendum servis uti, sed in otio vivere, quod unum laudabat, opes vero et nobilitatem non solum nihili faciebat, sed et odio prosequebatur, quoniam facessere negotium metuebat.

Laërtius segm. 31.

ibid.

§. XVII.

Finis hujus fictæ magnanimitatis, et neglectus curæ domesticæ non bonus, nec meliores effectus produxit, dum ex hoc Philosophus sibi, suis, et ipsi civitati non saltem, non ut potuit, profuit, sed et gravis et molestus fuit. Sibi sane parum prudenter prospexit, quando vitæ sustentandæ necessaria sibi ademit, et algere, sitire, esurire, imo perire coactus fuit. Nam quod Ischomachus ad ipsum inquit Socratem: ὡς μὲν γὰρ ἂν δύναιτο ἄνθρωπος ζῆν ἄνευ τῶν ἐπιτηδείων, οὐδεὶς τοῦτο αὐτὸς αὐτὸν πείθει. Posse hominem absque ne„cessario victu vivere, nemo sibimetipsi persuadebit,„ cum ipsa natura et ratione humana congruit, nec sanus poterit contradicere. Ergo desipienti non est dissimilis, qui ea contemnit, quæ ad victum, et quotidianum usum sunt necessaria: Et si ipse pro se aliquis nihil curabit, quis alium eo adiget, ut de alterius re despiciat, et an quo victitet, habeat, si ipse sui negligens exti-

Xenophon. œconomic. p. 686

exstiterit? Ridetur inde propter suam ex ignavia mendicitatem merito a comico: Aristoph. nub. vers. 361.

Ὅτι βρενθύει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς, καὶ τὼ φθαλμὼ παραβάλλει,
Κἀνυπόδητος κακὰ πολλὰ ἀνέχει κἀφ' ἡμῖν σεμνοπροσωπεῖς.

Uti leguntur versus in emendatissima Kusteri editione, quos ita simpliciter latine vertit interpres a Kustero notatus, quem vide

Tibi vero, quod elate hic incedis, circumfersque oculos: et
Discalceatus mala multa pateris et in nos ore severo es.

Ad quos quidem et aliorum justos risus, quos Laërtius percensuit, eum iterum ridere facit Xenophon in dissertatione cum Antiphonte, sed satis frigide, et redit eo omne sophisma, quod aliis persvadere conetur, hominem posse paucis contentum esse, et melius amicis et reipublicæ prodesse, si a rerum cura alienus sit: cum ipsi scivisse competat, et exigui curam esse non minorem, quam multi, ipsi illi, qui prudentia non suffultus est: Et qui omnia contemnit, unde sumet necessaria? qui prudens et dives est, plus prodest civitati, quam qui propter sapientiam gloriatur et fame languet. Maximus Tyrius elegans Scriptor, acutus philosophus, illos argute ridet qui propter paupertatem in philosophia præ aliis sibi arrogant, quod Socratem imitentur: ὡς ὠνάμεθα ὅτι μὴ καὶ οἱ σιμοὶ καὶ οἱ προγάστορες ἀμφισβητοῦσι φιλοσοφίας. Bene nobiscum „ agi-

segm. 27.
memorabil. L. I. p. 576.
Dissert. XXXVII. p. 390. edit. Davisii.

„agitur, quod non et ſimi de philoſophia contendant et ventricoſi.„ Et in ſequentibus pluribus demonſtrat, melius fore in republica, ſi divites ac nobiles ſe philoſophiæ accingant, quam ſoli mendici, ignobiles. Sed ſua fame ſuperbiat Socrates, nullo tamen jure alios inedia necare jus erat, uxores, liberi, ſervi, marito, parenti, domino, præſtant obſequium, ut amore complectatur, et neceſſaria ſuæ vitæ provideat, et procuret cujus imperio vivunt. Sed nihil hoc minus egit, quam ut prudentis patrisfamilias munus impleret, Socrates. Totam rem ſuam quinque minis æſtumandam gloriatur apud Critobulum:

Xenophon. œcon. p. 649.

ἐγὼ μὲν οἶμαι, εἰ ἀγαθοῦ ὀνητοῦ ἐπιτυχοίμι, εὑρεῖν ἂν μοι σὺν τῇ οἰκίᾳ καὶ τα ὄντα πάντα πάνυ ῥαδιώς πέντε μνᾶς. Arbitror ego, ſi emtor mihi bonus contingat, facile „me de cunctis facultatibus meis cum domo, minas „quinque coacturum.„ Vana gloria hominis, qui ex ſuis moribus univerſos æſtumat, et fallit, minime vero, qui prudentis inſtar patrisfamilias ſuorum curam gerit. Nonne oportebat eſſe ſollicitum philoſophum de uxore et de liberis? et futura proſpicere? et ex quo poſt mortem ſuam viverent vivum cogitare? Tunc enim quis futurus erat, qui neceſſaria largiretur, inopia presſis? Quis liberorum educandorum omnibus deſtitutorum curam habiturus erat? Nemo ſane eo ipſo magis, qui omnia et liberos neglexerat, nec neceſſaria ſuppeditando, nec arte forte ingenua inſtituendo, unde etiam non ſaltem nullibi Socratis claræ ſobolis mentio fit, ſed etiam quod Seneca tradit,

tradit, habuit liberos indociles, et matri quam patri Epist. CIV.
similiores, indoctos dicere debuit, et matre non magis felices, ex patris incuria et indecente indulgentia, quam cognoscere licet ex filii cum matre contentione apud Laërtium: ἐνέτρεψε δὲ καὶ Λαμπροκλέα, Segm. 29.
τὸν υἱὸν τῇ μητρὶ ἀγριαινόμενον, Lamproclem filium „ in matrem immitem ac ferum suadendo ad reve- „ rentiam reduxit. „ Xenophon ad quem provocat Diogenes, modum plenius enarrat, et eo redit di- Memorabil. 2.
sputatio, ut filio persuadeat, matris impotentiam, et p. 585.
morum feritatem ferendam esse, quæ mutari nequeat: indigna patre oratio, indigna marito, qua quam longe absit a patrisfamiliæ officio præstando intelligas, et ex ipso illo discursu agnoscas, quæ de parentum cura propter liberos exantlanda, in nutriendis, docendis, et magnis sumtibus ad discendum ab aliis, impensis, sentiat, quorum nihil ipse vel præstare præ negligentia voluit, vel sua culpa egenus, præstare potuit.

§. XVIII.

Quibus omnibus factis quomodo non male de publica re mereri potuit? Audi sis Ischomachum, Socratis in œconomia administranda magi- Xenophon.
strum, ὁ δὲ μήτε ἄλλην τέχνην χρηματοποιὸν ἐπιστάμενος, œcon. p. 686.
μήτε γεωργεῖν ἐθέλων φανερὸν, ὅτι κλέπτων ἢ ἁρπάζων, ἢ προσαιτῶν διανοεῖται βιοτεῖν, ἢ παντάπασιν ἀλόγιστός ἐστι.
Qui aliam artem nullam, qua rem faciat, novit, ne- „ que agrum colere vult, is præ se fert, quod vel fu- „ rando, vel prædando, vel mendicando victum quæ- „

rere cogitet, aut omnino rationis expers est.„ Vere et prudenter. Sed nec seruit nec messuit Socrates, nec artem aliam acquirendi rem exercuit, nec tamen furatus est, nec ex rapto vixit; imo, quod omnia hæc involvit, mendicavit. Laudat Seneca factum, sed quod impudenter non rogaverit, eo differt a reliquis. Socrates amicis audientibus: E-„ missem, inquit, pallium, si nummos haberem. Ne-„ minem poposcit, omnes admonuit.„ fraudulenter extorsit, in omnes injurius fuit, magis conveniebat dicere. Sic enim exprobrabat amicis, audientibus pluribus, se indigere; quo odium et indignationem consciscebat bonis, quasi in præceptorem ingrati essent, quod ambitiose de se dici nolebant, atque ita abutebatur sibi nota eorum, vel imprudentia, vel metu. Nam si rem ex vero metiaris, quomodo non iniquus fuit mendicus Philosophus? ab amicis nummos vafre petebat oblique eos admonendo, quos ex mercede pro doctrina collegerant, quod tanquam indignum ipse proscripserat, et quotidie propterea alios sugillabat; de se vero, quod idem non faceret, gloriabatur, indignum profecto: et si æque alii magnifice de se sentire voluissent Socratem, quis futurus erat, qui omnibus fame emaciatis, vitam redderet? Nam sic et omnibus philosophari cum Socrate jus fuit, si vero omnes æque parasitari cum eo voluissent, omnibus pereundum fuisset. Aristippus Philosophus vere civilis et dignior Socrate discipulus, verecunde, sed sapienter morem

De beneficiis L.VII. c.24.

magi-

magiſtro exprobravit, quandoaccuſanti, quod Socratis diſciplina inſtitutus pecuniam ſumeret, regeſſit, εἶχε γὰρ ταμίας τὲς πρώτες Ἀθηναίων. ἐγὼ δὲ Εὐτυχιδὴν ἀργυρώνητον. Habuit Socrates penuarios „ Athenienſium principes, ego autem Eutychidem „ emtitium ſervum. „ Quo quid aliud intelligi voluit Philoſophus, quam quod Socrates divitum Athenienſium quadra vivens, eosdem philoſophica mendicitate expilaverit, et adeo re propria non indiguerit: ipſe vero externus, quod propter æmulationem eandem benevolentiam ſperare nequeat, neque propter rei indignitatem, quod ex aliis ejus cognoſcitur, velit, mercedem merito accipiat. Prudentius factum! nec negat Socrates, ἑκὼν ἐν μὲν χρημάτων διοικήσει κρατοίη ἂν ὁ χρήμασιν εὐπορωτέραν τὴν πόλιν ποιῶν. In opum adminiſtratione potior il- „ lius erit ratio, qui rempublicam opulentiorem „ reddidit, „ quo rectius certe ſenſit Socrates, quam egit, cui id ex prudentiæ præceptis non ſolum incumbebat, ut recte acquirendi modum ſuo exemplo alios doceret, ſed et uti recte, quod jure Ariſtippus ſe noviſſe, et facere, affirmavit alibi.

Diog. Laërt. L. II. ſegm. 74.

Xenophon. memorabil. IV. p. 642.

Laërt. II. ſegm. 72.

§. XIX.

Plura licebat addere ſed nolumus diſputationis limites excedere, et pro ſcopo dicta ſufficient, qui minime fuit, quod famæ Socratis inter græcos Philoſophorum fere principis, per nos poſſe derogari crederemus, ſed ut exemplo demonſtraremus, nihil humanum omni numero abſolutum eſſe, et

nimi-

nimium tribuere Socrati ſapientes viros, Marſilium Ficinum, qui cum Chriſto Salvatore, et martyribus ejus eccleſiæ comparare non dubitat; Motheum Vayerium, qui beatitudinem fidelium Chriſti confeſſorum non denegat: Charpenterium, qui tanquam Ideam perfecti in omnibus Philoſophi exhibet, quem ſecutus Thomaſius propius ad ſancta Chriſtianæ doctrinæ præcepta acceſſiſſe, quam profanorum ullum, prædicat, et a nullo niſi a gratia veri divini luminis colluſtrato vinci poſſe, autumat, quibus ad probandum, non fuiſſe aliis meliorem, hoc occinimus apoſtoli: Ἐι δέ τις τῶν ἰδίων καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων, ὐ προνοεῖ, τὴν πίστιν ἤρνηται, καὶ ἔστιν ἀπίστε χείρων. Ecce Philoſophum neque cum vere Chriſtiano, neque cum prudente infideli conferendum!

L. VIII, Ep. 9.

De la Vertu des Payens II. Part. p. 587. Edit. fol. 1662.

La vie de Socrate.

Præfat. ad Charpenterii vitam Socratis.

1. Tim, V, 8.

COROLLARIA.

I. Peſte Athenis graſſante Socrates ſolus non ægrotaſſe dicitur, propter temperantiam. temere.

II, Phædonem captivum, ut redimeret, Critonem Socrates juſſit, quoniam ſuo ære id facere non poterat. minus ex officio.

III. Dicente uxore: injuſte moreris, reſpondit Socrates: at tu juſte malles? ſophiſtice.

IV. Monitus ſibi maledici, id fieri negavit Socrates, quia maledicta ſibi non conveniant. minus argute.

V. Athenienſes et damnando Socratem, et pro eo inferias dando, peccarunt,

VI. Diſputatio, quæ inter Socratem et Ariſtippum de voluptate fingitur a Xenophonte, memor: eſt frigida.

Erratum, quod ſenſum impedit. p. 8. l. 8. pro et l. ex: reliqua feſtinatio excuſabit.